DE

VENEFICIO SATURNINO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XV. M. AUGUSTI A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

L. AEMILIUS KLAMROTH

MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

S. STRASSMANN, med. et chir. Cand.

TH. WEDEL, jur. Cand.

F. SCHAUSS, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES COLENDIS

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO, PRAECEPTORI AMICO,

OPTIME DE ME MERITO

ARM. WEDEL,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO APUD
LUEBBENAVIENSES PRACTICO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO

Persaepe hoc tempore, et recte quidem, querelae feruntur, multos esse non satis eruditos, qui libros conscribere suscipiant, quos legere praeter ipsos non alii cuiquam ullius sit momenti. Nihilosecius me quoque hanc dissertatiunculam in vulgus edidisse ne mihi objiciatur, quum usui tantum antiquitus recepto obediens et Gratiosi Medicorum Ordinis jussui hoc opus adgressus sim.

Sed forte erit, qui miretur, me tironem eadem uti materia ausum esse, quam multi jam alii et doctissimi quidem celeberrimique tractaverunt. Illis respondeo, praeceptoris dilectissimi, cui et dedicavi hoc opusculum, me secutum esse exemplum, qui idem sub iisdem fecit conditionibus.

Et quidni rem gravem magnique momenti suscipere liceat ei, qui operam daturus est rei, quam novi maximae, medicinae practicae?

At novum aliquod me allaturum, ampliore carentem experientia, ne quis exspectet.

Tantum abest, ut ad hoc adspirare audeam, ut ea tantum, quae ab aliis scripta inveni et inter studiorum cursum vidi atque audivi, collecta hisce pagellis edita esse confiteor.

INTRODUCTIO.

Omnia fere metalla corpori aliena, si ingesta sunt, perturbationes efficiunt, et singula quidem alias, singulis peculiares, quae ab effectu conclusionem fieri patiuntur de efficiente. Minoris hic nobis momenti sunt effectus pendentes a majoribus dosibus, quos dicimus acutos, illis, qui sequuntur, si per longum tempus sensim corpori inditae sunt minimae metallorum doses. Quo facto perturbationes videmus pro variis metallis in variis organis, in tela mucosa, in intestinis thoracis, abdominis, in cerebro, in medulla spinali, ossibus, cute.

Oriuntur ex veneficio arsenicali affectiones praecipue telae mucosae ventriculi et intestinorum, convulsiones, paralyses; quae absunt a veneficio per antimonium effecto. — Argentum colorat cutem saepiusque provocat hydropem. Hydrargyrum primum efficit salivationem, deinde febrem, cutis et telae mucosae ulcera, ossium et nervorum commutationes (Tremor mercurialis). Veneficio cupro inducto simillimum est saturninum.

Cujus nunc respiciamus causas, formas, curationem. —

Omnia plumbi praeparata inter venena numerare oportet. Etenim omnia, parvas tantum effectus praebentia differentias, etsi corpori aegroto interdum utilia, sano semper noxam afferunt variam secundum usum et doses. Nam ut omnium medicamentorun alterantium, ita et plumbi praeparatorum doses magnae statim effectum praebent, quem acutum nominamus. Doses parvae diutiusque haustae post longius temporis spatium efficaces apparent per ea, quae chronica dicimus, symptomata.

Quod primum ad majores doses veneficiumque acutum, hoc in gradu tantum secundum quantitatem veneni et formam differt maximamque praebet similitudinem cum aliis metallicis veneficiis. Sedes praecipue est in tela intestinorum mucosa, quam minores doses in superficie tantum inflammant et leviter corrodunt: dolores in scrobiculo cordis oriuntur, colica et vomituritiones. Majores graviora efficiunt symptomata: corrosiones profundiores, immo perforationes ventriculi, ita ut mors arceri non possit. Quae quidem induci potest aut per apoplexiam, aut per suppurationem ortam ex ulceribus locorum corrosorum. Etsi non ita exitus est letalis, tamen majoribus in corrosionis gradibus prognosis dubia fit per

morbos secundarios — indurationes et stricturas; semper certe diuturna remanet dyspepsia.

Alia praebent symptomata parvae doses, per longius temporis spatium corpori inductae. Non statim harum effectus apparent, sed sensim irruunt, tempore augescentes; et hi quoque, nisi causa removetur, adeo progredi possunt, ut letales fiant. Existunt autem hi effectus conjunctione chemica metalli cum corpore. Si enim doses non majores sunt, quam quae mixtae cum ventriculi contentis corrosiones efficiant, cum cibis per chylum sanguini advehuntur. Plerumque particulae pulveris forma ex aëre atomis saturninis nimis infecto in corpus inducuntur, haustae aut per bronchos, aut per telas mucosas aëri patentes, aut per loca cutis saucia. (Num cutem integram penetrare possit plumbum, adhuc in suspenso est.) Et chemice quidem conjungi cum corpore, argumentum in eo est, quod sic dicta albuminata ejus inventa sunt et in medulla spinali et in sanguine et in urina variisque in organis. Sic igitur, quum sensim sanguini advehatur plumbum, apparet, non localia tantum effici posse symptomata, sed veram inde nasci dyscrasiam.

Praecipua plumbi praeparata, quibus intoxicatio effici solet, haec sunt:

1. Plumbum oxydatum, — lithargyrum. Squamulae sunt e flavo rubrae, nitidae, acidis et alcalibus solubiles. Paratur in officinis metallariis.

2. Plumbum superoxydatum, — Minium. Pulvis coloris ex aurantiaco rubri, acidis solubilis. Paratur in officinis chemicis. — Frequenter adhibetur a pictoribus.
3. Plumbum carbonicum, — carbonas plumbicus, — Cerussa. — Pulvis coloris albi, solubilis alcalibus. — Paratur in officinis chemicis. Maxime in usum vocatur ab opificibus eaque de re saepissimae intoxicationis causam praebet.
4. Plumbum aceticum oxydatum, — saccharum saturni. — Sal crystallinus, coloris albidi aqua et spiritu vini rectificatissimo solubilis. — Ne detur cum alcalibus, terris, acidis, salibus. —
5. Plumbum hydrojodicum, mitius hoc, raro adhuc adhibetur.

Omnia hae plumbi praeparata saepenumero adhibentur ad usum externum aquis, fomentis, clysmatibus, denique emplastris. Effectus est exsiccatio et secretionum diminutio. — Nobis majoris est momenti effectus ex usu interno. Et hic in secretionum excretionumque diminutione cernitur. Praeterea autem post longiorem continuationem symptomata videmus quasi narcotica: depressionem nervorum, debilitatem corporis et retardationem animi, pendentia a sanguinis mixtione immutata. Sunt, qui contendant, praecipue nervorum functionem mutari plumbo, quia cum albumino sanguinis et telarum se conjungere studeat, itaque ea organa maximam hujus veneni quantitatem excipiant oportere, quorum

substantia plurimum albuminis contineat —; quae quidem est tela nervea.

VENEFICIUM SATURNINUM ACUTUM.

Si quis plumbi vel alicujus plumbi praeparati quantitatem sumserit tantam, quae non cum ventriculi contentis exstingui possit, cum ipsa ejus membrana mucosa oritur conjunctio chemica, eademque, si satis afficit veneni, cum duodeni et ilei. Quae conjunctiones chemicae, quamvis sint insolubiles, nihil prosunt membranis, quas tegunt. Mox enim per motum ventriculi peristalticum iis remotis, venenum facile amplius telas subjectas corrodit, id quod usque ad perforationes progredi potest.

Talis aeger incredibili cruciatur dolore, primum ventriculi, deinde totius ventris. Femora ad ventrem adducit; mox nimio victus dolore sudoribus frigidis, convulsionibus, deliriis, furore tentatur — aut in asphyxiam incidit. Dolor non remittit, etsi post anxias vomituritiones secutus sit vomitus, aut si excrementa, quae plerumque dura, sicca, globosa esse solent, maximo labore secesserint. Pressioni tantum graviori paulum cedit dolor. — Sequitur denique completa inanitio. Sudor deest, pulsus fit spasticus, intermittens musculi spasmo contrahuntur — finis est asphyxia, paralysis, apoplexia nervosa.

Invenimus necropsia idem, quod in quaqeu intoxicatione rebus acribus effecta: inflammationes, extrava-

sata, corrosiones, fuliginem ex albo ciueream in tela ventriculi mucosa. Sanguinem interdum atriorem viderunt, in vasis capillaribus haesitantem.

Indicata sunt primum media, quae corpus veneno liberant: emetica, et ea quidem, quae quam citissime vomitum efficiunt. Maxime laudatur Zincum sulphuricum, quod praeter maturum vomitum eam praebere dicitur utilitatem, ut cum plumbo conjunctionem ineat prorsus fere insolubilem. Quam si indicationem secuti sumus, cathartica salina adhibeamus oportet, ea quidem, quae acidum sulphuricum continent, quippe quod ad plumbum transiens, cum hujus residuis conjunctiones ineat fere insolubiles eoque modo minus noxias. Addendus his medicamentis, si et in intestina pervenerit venenum, ibique effecerit enteritidem, apparatus antiphlogisticus: locales missiones sanguinis, inunctiones mercuriales cum narcoticis, fomentationes tepidae. Apparentibus demum symptomatibus nervosis, derivatio restat per rubefacientia et exutoria.

VENEFICIUM SATURNINUM CHRONICUM.

Intoxicatio saturnina chronica quibus e causis oriri soleat, supra jam commemoravimus. Primum haec quoque corporis infectio per generalem principalemque plumbi effectum se manifestat, per exsiccationem omniumque secretionem atque excretionum diminutionem, praesertim per obstructionem alvi. Rariores non solum, sed etiam sicciores atque duriores evadunt sedes.

Itaque et primus semper morbus saturninus et frequentissimus est

COLICA SATURNINA.

Orditur levi alvi obstructione. pressione regionis epigastricae. nausea, anorexia. Quae si per dies, immo per hebdomades perstiterunt, dolores evadunt acutiores, plerumque in regione umbilicali, saepe et in epigastrica. Augentur dolores praesertim paroxysmis, primum minutas tantum durantibus. mox longioribus, noctu gravioribus. —

Jam et intervalla non omnino libera esse incipiunt doloribus, qui pressioni tantum externae paulum cedere solent. In paroxysmis mox frequentioribus spasmo tenduntur tegumenta ventris, adeo ut dura tangenti se praebeant. Nunquam expansio ventris invenitur tympanitica. Intestina quoque spasmo contrahuntur, sphincter ani tam arcte constringitur, ut clysmata magno tantum labore injici possint. Nec non urina retinetur in paroxysmis, omninoque uropoëtica et genitalia organa saepe sunt affecta. Haud raro testes ad abdomen videmus elevatos. —

Obstructio pertinax perstat, purgantibus alias efficacibus longe resistens. Sin vero excretio alvi sequitur, faeces invenimus siccas, globosas. Nec tenesmus deesse solet. —

Nauseam haud raro sequitur vomitus biliosus. Lingua est humida, muco albo aut fusco obtecta; cutis

sicca, urina clara, pulsus durus, rarus, eoque rarior, quo tormina sunt vehementiora. —

Pulsus spasticus ultimum manet symptoma, in levioribus autem morbi gradibus interdum fere normalis exstat. —

Accedunt pallor, gingivae et dentes plumbo sulphurato coeruleo-cinereo obteguntur.

In cadaveribus intestina abdominalia compressa, conglomerata, telas mucosas saepe muco crasso obtectas, glandulas Brunnerianas Peyerianasque tumidas, sanguinem aut fuscum aut atriorem videmus. —

Invenitur plumbum in intestinis, in musculis, in cerebro.

Diagnosin constituunt praeter anamnesin pulsus rarus, et dentium et telae oris mucosae color, dolor abdominis pressione decrescit.

Causa, ut supra dictum, plerumque atmosphaera est plumbo infecta; raro in plumbi ipsius tractatione quaerenda. Saepissime aegrotant operarii in officinis, in quibus cerussa conficitur, pictores et qui illis terunt colores. Rarior nunc quam prius est intoxicatio per vinum, quod aut in vasis e plumbo confectis prelo tractabatur, aut lithargyro vel plumbo acetico adulterabatur. —

Inde nomen perversae colicae vegetabilis.

Nonnullos tamen videmus homines per decennia his causis obnoxios valetudine semper gaudere. Praedispositio igitur adsit oportet, ut colica saturnina emergat. Quam augent praedispositionem juventus, sexus

potior, calor, perfrigeria; neque omittendum est, qui semel affectus fuerit colica saturnina, hunc facilius iterum ea tentari.

Decursus maxime mutabilis. Raro typus continuus adest. Subito interdum omnia morbi symptomata desinere videmus. —

Primus impetus VIII—XIV diebus finiri solet. Minuitur autem hoc tempus et gradu intoxicationis et constitutione aegroti; nam paucis jam elapsis diebus interdum valetudo redit. Sin vero causa efficiens non ablata est, aut si jam saepius colica saturnina affectus fuerat aegrotus, unde remansit cachexia: aut diuturna et difficilis est cura sanatioque saepe incompleta, aut transit morbus in extremas veneficii formas. Complicationes raro observatae sunt cum enteritide, rarius cum phthisi pulmonum, saepius cum variis morbis epidemicis.

Exitum in sanationem remissiones indicant dolorum, faecum excretio molliorum frequentior, urina critica, cutis calida, humida, pulsus frequentior, mollior. —

Exitus letalis in acme morbi raro evenit, interdum transitu in universam cachexiam inducitur, rarius hydrope, paralysi, deliriis, apoplexia.

Prognosin igitur simplicis colicae saturninae, primae equidem praecipue, bonam pronuntiare licet. Sin autem saepius jam hoc morbo affectus erat aegrotus, aut si causa efficiens non omnino removeri potest, pejorem augurari oportet. Mala demum fit praedictio, si

praeterea jam cachexia adest, praecipue spirituosorum abusum secuta, et si symptomata vehementiora evadunt, ut singultus vomitusque nimius. Chronicus morbi decursus infaustus habendus. —

Cum colica saturnina saepe juncta est, aut sanatam excipit:

ARTHIALGIA SATURNINA SEU RHEUMATISMUS METALLICUS.

Dolores neuralgici varias corporis partes corripiunt, praecipue extremitates inferiores earumque praesertim faciem posteriorem, internam; rarius in thorace aut in extremitatibus superioribus. in facie fere nunquam, sedem figunt. Diminui pressione, motionibus augeri solent. Non certam in nervorum decursu habent viam; color ac temperatura artuum affectorum non mutantur. Sunt periodici, noctu vehementiores. Musculi organorum aegrotorum in paroxysmis spasmo tensi, duri inveniuntur. —

Intrare solent dolores cum lassitudinis, stuporis sensu, qui et in intervallis vexat aegrotum.

Necropsia eadem, quae in colica saturnina, praebet signa.

Diagnosin constituunt anamnesis, complicatio creberrima cum colica et paralysi saturnina, typus periodicus, dolores neuralgici.

Praeterire cito solet, modo lenius, modo intensius decurrens. Faustis sub conditionibus sanari potest in-

tra III—VI dies, malis, aut deficiente cura, per menses protrahi potest. Tum saepius accidit, ut transeat in paralyses.

Prognosis, ut supra, ad gradum infectionis, ad constitutionem aegroti, ad complicationes et ad symptomatum intensitatem conformanda est.

Facile et saepe, si sanatam jam putavimus, ei superveniunt cum anaesthesiae, tum paralyses.

ANAESTHESIA SATURNINA

plerumque in singularibus tantum corporis organis observatur. Cutis nervos ab ea intactos manere docet acupunctura in partibus affectis, quae sine dolore exacte percipitur ab aegroto.

Sanatio intrare potest spontanea. Si complicationes desunt, paucis hebdomadibus desinere solet, nullis adhibitis medicamentis.

PARALYSIS SATURNINA

prodromis nuntiari solet: gravitatis, lassitudinis sensu, tremore artuum. Invadit paralysis praecipue extremitates superiores, vel unius, vel utriusque lateris, et musculos quidem fere solos extensores, supinatores, adductores. Itaque praevalentibus flexoribus integris deformitates existunt peculiares. Saepenumero singuli tantum digiti, quandoque omnes inflexi sunt, ita ut manus aperiri nequeat; antibrachio affecto supinatio exigi

non potest; in humero sedes frequentissima est in musculo deltoïdeo. Simili modo, si affectae sunt extremitates inferiores, talipedes genuque incurvationes existere consueverunt. Nunquam rigor invenitur in musculis, neque afficiuntur sphincteres. Mox atrophia observatur, sensibilitate plerumque integra. Raro accidit aphonia saturnina.

Sectione musculos affectos invenimus atrophicos, pallidos, molliores, plumbo infectos.

Diagnosis primum ex anamnesi et, si morbus progressus fecerit, peculiaribus deformitatibus facilis est. — Causa pertinacior, quam quae priores efficiat formas, esse solet intoxicatio.

Diu si affuit paralysis saturnina, pulsus fit tardus, existunt oedemata, marasmus, tabes.

Prognosis funesta, quum nulla adhuc completa paralysis plane sanata sit.

Sequitur denique ultima veneficii forma,

ENCEPHALOPATHIA SATURNINA.

Quae, nisi aliae intoxicationis formae antea affuerunt, existere non potest. Ordiri solet vertiginibus, cephalaea, tristitia, stupore quodam animi. Sequuntur convulsiones (epilepsia saturnina), deliria (hallucinationes, visiones, amauroses), omnes denique logoneurosium formae. —

Differt encephalalgia ab encephalitide decursu lento, pulsu tardo, amaurosi; a delirio tremente praeterea, quocum saepissime consociatur, musculorum tono.

Decurrit chronice, transit plerumque in dementiam, aut in mortem ex apoplexia cerebrali aut e sopore. —

Prognosis mala est, quum e ternis bini mori soleant.

Omnes hae veneficii saturnini formae conjunctiones combinationesque inter se inire student. —

Signa sunt magis minusve omnibus communia: caries dentium, gingivarum totiusque oris telae mucosae color lividus, coeruleus; lingua leviter obtecta; sapor dulciusculus, adstringens; anima foetida. Huc denique cachexiae et tabis symptomata accedunt; cutis et conjuntiva luridae, squalidae, macies et arescentia totius corporis, urina parca, excretiones alvi perrarae, excreta ipsa sicca, globosa. Omnia tunc intoxicationis et dyscrasiae symptomata ad extremum perveniunt gradum, donec inter agrypniam, animi depressiones, nec non inter hydraemiae, hydropis, gangranae et marasmi completi signa exitus letalis accedat.

CURATIO.

Primum in morbis saturninis removenda est causa efficiens, ne amplius nocere possit venenum. Quod quamvis plerumque sit facillimum, quum jam per negotium aegroti et anamnesin causam intelligere liceat: interdum erit difficilius, ubi, quod saepius observatum est, efficitur morbus per cibos potusve in vasis plumbeis paratos, per vina lithargyro vel plumbo acetico adulterata, per lagenas plumbeis granulis depuratas, cet.

Alia autem et gravior quidem est difficultas removendi causam paupertas aegrotorum, qui, ut victum sibi quaerant, iterare coguntur negotium, quo denuo periculum intoxicationis subeunt. Quibus commendanda ut vita regularis, ita summa mundities. Imperanda abstinentia a spirituosis, ab acidis, quae adjuvant plumbi resorptionem. Melius oleosis fruantur cibis, quippe qui venenum involvant. Praeterea autem, priusquam cibum potionemve capiant, ne unquam munditiae obliviscantur; os aqua foveant, et manus lavent, ut plumbi partes his adhaerentes removeantur. Nec non vestimentorum vicissitudo totiusque corporis balnea magni sunt momenti.

Laudaverunt nonnulli parvam acidi sulphurici quantitatem potioni admixtam: quod si continuatur, timendum, ne digestionis energiae noceat. Melius commendatur alvi debita observatio: quae si quando adstringitur, magnesia sulphurica aperiatur.

Plurimae sunt venenum e corpore removendi methodi. Ne de emeticis loquamur, quae quidem in acuta intoxicationis forma nunquam sunt omittenda, per cathartica, per specifica, per narcotica auferri queunt. Balnea semper utilia.

Symptomaticis utendum est his: si quis nimis correptus sit vomitu, narcoticis, temperantibus, derivationibus per sinapismos in scrobiculo cordis positos; dolores nimios sedent narcotica; affectiones spasticae iisdem sedentur et fomentationibus calidis. Apoplexiae pericu-

lum poscit venaesectionem, peritonitis sanguinis missiones locales et inunctiones resolventes.

SEQUITUR SINGULORUM MORBORUM VENEFICIO SATURNINO EFFECTORUM CURATIO.

Colica quum frequentior sit saepiusque observata ceteris morbis saturninis, perfectiorem praebet therapiam. Primum hic curationis momentum cernitur in levanda obstructione alvi, quippe quae gravissimum efficiat symptoma. Quem ad finem variis utuntur methodis.

Methodum purgantem saepenumero Halis Saxonum prosperrimo cum eventum adhibitam vidi. —

Datur aegroto infusi foliorum Sennae cum magnesia sulphurica cochlear majus binis horis, donec appareant sedes. Quo facto levius infusum exhibetur, ut et sedes molles maneant, et quod adhuc plumbi in corpore restat, cum acido sulphurico magnesiae sulphuricae se conjungat. Dolores autem saepius hac methodo adeo augentur, ut symptomaticae opii doses poscantur, quae effectu antispasmodico valde adjuvare solent curam, ita ut opio forsan magis, quam purgantibus tribuendus sit effectus.

Multi et Opio solo usi sunt, cujus dato grano uno singulis horis saepe bonum viderunt eventum. Eliminantur sedes, dum Opii effectu narcotico sedatur spasmus intestinorum. Multi Opium cum calomelane jungunt

(Opii gr. β, Calomel. gr. j ternis horis).

Alii adhibuerunt Morphium aceticum, Belladonnam, Tincturam Nucum vomicarum, Hyoscyamum, clysmata e Nicotiana, Moschum, Camphoram, cet. —

Potus oleosi, balnea et fomentata calida, inunctiones relaxantes et narcoticae magnopere curam adjuvant.

Optima mihi videtur curatio, quae drastica cum narcoticis jungit remedia. Ill. Romberg haec praescribit:

Rep. Olei crotonis Gutt. jjj,
Sacchari albi ℥jβ
Ms. pulv. — Div. in part. jjj
DS.

Horis matutinis ordiens ternis horis pulveris dimidiam partem sumat aegrotus: die finito pulverem sumat paratum ex Opii gr. β cum Sacchari ℈j. Eodem modo pergendum et diu potionibus emulsivis utendum. Intra dies VII sanitati plerumque cessit morbus.

Simili methodo utuntur in Nosocomio caritatis Parisiensi, ubi praeterea emetica et diaphoretica adhibere solent cum clysmatibus narcoticis et purgantibus.

Methodus restat specifica, aluminis usus. Cujus efficacitas praeter effectum chemicum, conjunctionem

cum plumbo in corpus ingesto, dynamica nominetur oportet. —

Laudatur a multis viris doctissimis. Primum quidem a Grashuis alumen commendatum est, tunc etiam ab aliis, inprimis a Kapeler, qui ejus doses magnas (usque ad ʒvj per diem) decoctis mucilaginosis solutas praebet. —

Plerumque cum opio aliisque narcoticis conjungitur.

Arthralgia

saturnina intra paucos dies balneis calidis cedere solet, kali sulphurici unciis IV—VI correctis. Adjuvant infrictiones linimenti camphorati.

Anaesthesia

saturnina sua sponte saepe evanescit. Sulphure, Strychnio nitrico, balneis sulphuratis, derivationibus facile sanari solet.

Paralysis

saturnina praesertim paralysium curam generalem posit: Strychnii nitrici Gr. 1/6 pro dosi, aut interne aut endermatice, electricitatem diu adhibitam, thermas sulphuratas, ut Aquisgranenses, Badenses (non procul a Vindobona). Adjuvant unguenta terebinthinata. Balneorum primorum efficacitatem saepe ex plumbo sulphurato cernimus, quod in iis praecipitatur.

Encephalopathia

saturnina praeter curam morbi universalem praecipue methodum palliativam exigit. Apparatu antiphlogistico, inprimis detractione sanguinis, cautissime utendum. Sin vero exitus in cachexiam, in tabem saturninam prohiberi non potuerit, et medicamentis roborantibus et diaeta roborante vires ut sustineantur studere oportet.

VITA

Ludovicus Aemilius Klamroth, Cremmenensis, evangelicae fidei addictus, anno hujus saeculi vigesimo nono die XI Mensis Februarii natus sum patre Henrico, matre Ludovica e gente Liersch, quos superstites pio gratoque animo veneror. Primis litterarum elementis imbutus tempore vernali MDCCCXXVIII gymnasium Cottbusiense adii, quod adhuc sub auspiciis Cel. Reuscher floret. Inde testimonio maturitatis instructus tempore paschali MDCCCXLVII almam universitatem litterariam Berolinensem petii et ab Ill. Boeckh, tum Rectore Magnifico, civibus academicis, ab Ill. Mueller, tum Decano Gratiosi Medicorum Ordinis maxime spectabili medicinae studiosis adscriptus sum.

Disserentes audivi: Ill. Michelet de logice, Ill. Schultz de botanice, Ill. Dove de physice, Ill.

Schlemm de osteologia, Ill. Hecker de artis medicae encyclopaedia et methodologia, Ill. Mueller de anatomia, physiologia et anatomia comparata, Ill. Schlemm de arte cadavera rite secandi, Ill. Mitscherlich de chemia, Ill. Lichtenstein de zoologia, Ill. Weiss de mineralogia, Exper. Simon de pathologia et therapia generali, Ill. Mitscherlich de materia medica, Ill. Juengken de chirurgia, Ill. Romberg de pathologia speciali, Cel. Virchow de anatomia pathologica, Exper. Ebert de morbis infantum, Ill. Casper de medicina forensi, Exper. Schoeller de tocologia. Scholis clinicls interfui Ill. Langenbeck et Exp. Ebert.

Halis Saxonum, quo tempore autumnali A. MDCCCXLIX me contuli et usque ad tempus paschale hujus anni degi, disserentes audivi: Ill. Friedlaender de medicinae historia, Ill. Blasius de fracturis, luxationibus, operationibus, Exp. de Baerensprung de auscultatione et percussione. Scholis clinicis ibi interfui Ill. Krukenberg et Ill. Blasius.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quam maximas possum gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Quo plura morbi laudantur remedia, eo incertior therapia.
2. Ex urethritide dyscrasia non oritur.
3. Rerum medicarum notitia quaedam profanis plus nocet, quam prodest.
4. Femina sana esse potest liberosque parere, etsi nunquam menstruata fuerit.